

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17





B. C. D.

CASUM

DE

EXCRESCENTIA

ADIPOSA

GLANDULIS SCIRRHOSIS

CONFERTA

CONSENTIENTE

GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI


SOLENNI DISQUISITIONI SUBMITTIT

DIE XXVIII. JAN. A. MDCCLXVII.

H. L. Q. C.

JOHANNES SAMUEL à GREYERS

HELVETO - BERNAS.



ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENR. HEITZ, Universitatis Typogr.







CASUM  
EXCRESCENTIA  
ADIPOSA  
GLANDULIS SCIRRHOIS  
CONFERTA  
CONSENTIENTE  
GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORIS  
SOLLENNI DISQUISITIONE SUBMITTIT  
DIE XXVII JAN. A. MDCCCLXVII  
M. L. C.  
JOHANNES SAMUEL & GREYERS  
HELVETI. BERNAS.  
ARGENTORATI  
Excubet Joh. Hans. Hauss, Universitäts Typogr.







 Die septimo mensis Junii anno 1762. in No-  
focomium Urbis Bernæ recipiebatur Virgo  
quædam, vigesimum & quartum agens  
suae ætatis annum, brevi statura, rite or-  
dinato mensium fluxu gaudens, sanaque  
reliqua corporis constitutione. Hujus pudendorum re-  
gionem occupabat stupendæ magnitudinis tumor, Virgi-  
nis nostræ genitalia in totum velans, ita ut totum mon-  
tem veneris & utrumque inguen cum perinæo obfideret,  
nec non ad anum suas extenderet radices. Declivis pen-  
debat ad illum usque locum, ubi tendo communis mu-  
sculorum extensorum tibiæ inseritur. Ejus longitudo 16.  
circumferentia ubi maxima 25. & diameter  $8\frac{1}{2}$ . pollices  
æquabat. Omnis fere superficies quamplurimis sanguine  
valde repletis venis picta, tota vero Excrefcentia doloris  
expers erat. Cutis, prouti in pudendorum labiis esse  
solet, fusco gaudebat colore, atque attrectatio quasi  
scirrhum præ se ferebat. Tumor iste a perexiguo admo-  
dum tuberculo in labio vulvæ dextro primam suam duxit  
origi-

A



originem, sex autem annorum intervallo ad enormem hanc magnitudinem excrevit. Cum ex Ægra urinæ & mensium quærentur viæ, nulla enim observabatur apertura, monstravit illa reclinato tumore latere sinistro parvam nec facile detegendam plicam, quæ urethræ & vaginæ continebat orificia. Præmissis præmittendis die 15to mensis Junii Celeberrimus ac quam multas ob rationes summe semper a me venerandus Vir, Dominus THEOPHYLUS KUHN, Experientissimus nec non in illa, quæ manu medetur, Artis Medicæ parte, felicissimus Nosocomii Practicus in præsentia nonnullorum Medicorum atque Chirurgorum operationem singulari pro suo more instituebat dexteritate. Incisio myrtiformis ob violentam admodum cutis expansionem juxta tumoris radices ita fiebat, ut alterum sectionis extremum anum, alterum vero annulum dextrum respiceret; facta hac operatione præcavendæ nimix hæmorrhagiæ ergo triginta circiter utriusque systematis vasa sanguifera ligavit, & vaginam uteri a magno tumoris pondere ad manus latitudinem e corpore extractam animadvertit Medens. Excisione peracta labia vulneris retracta cute permultis ab ano ad regionem umbilicalem usque sese extendentibus futuris interseccis jungebantur, unito autem vulnere prudens Vir solum Arcæ Balsamum atque fots resolventes applicabat, hisce etiam solis adeo prospere succedebat tota curatio, ut die 5to Mensis Augusti Ægra in integrum restituta Nosocomium iterum relinquere, & apud idem Dominium denuo ancillæ vicibus fungi potuerit, ad hanc usque diem secunda gaudens valetudine.

Excisum tumorem scirrhosus consistente pinguedine involutas confecisse glandulas, quarum nonnullæ in medio cartilaginosa indolis erant, in abscissionis limite observabatur. Omni quantum fieri potuit sanguine expresso, tumor suo pondere adhuc 15. libras æquabat, & in  
supra



supra dicto Nofocomio curiositatis gratia in spiritu vini  
affervatur.

---

Quum in eo essem, ut Specimen hocce Academicum  
Præceptorum censuræ submitterem, opportuno ad-  
modum tempore allatum fuit in Theatrum Anatomicum  
muliebne cadaver, cujus sub axilla dextra fatis ingens  
conspiciebatur tumor, qui ad tactum mollis erat, eum  
fecandi, ut interiora propriis perlustrarem oculis, statim  
nie incessit cupido, nec spem conceptam elusit, quo te-  
nebar, desiderium, hujus enim rei copiam mihi faciebat  
Præceptor meus summe venerandus, Vir Excell. JOH.  
PFEFFINGER, Anat. & Chirurg. Prof. P. O., interio-  
rem hinc tumoris, quantum potui, indagavi naturam,  
& id quidem præfente Viro Celeb. JOH. FRID. LOBSTEIN,  
felicissimo hujus urbis Med. Practico, nec non Patrono  
& Præceptore meo usque colendo. Frigus autem atque  
mors impediabant, quo minus interiora, unde Excrescen-  
tia suas haberet natales, exterius lustrari possent, an mobilis,  
an loco quodam hæret infixa? Pinguedo enim hac  
rerum facie consistit, cutisque laxa alias, nunc ei appli-  
cita hæret, ut tactus exinde fallatur. Incisa cute talis,  
qualis vulgo sub ea reperitur, ibi collecta hærebat pin-  
guedo, quæ totam occupabat axillæ cavitatem, seseque  
superiora versus extendebat ad eum usque locum, ubi  
Pectoralis Musculus cum Deltoide limitem facit, pedun-  
culo autem plane destitutus declivis pendeat. Stagnans  
propter frigus pinguedo in lobulos divisa erat, eam te-  
nues ex cellulosa natæ ambiebant laminulæ, folliculus  
omnino aberat. Solvebatur absque ullo incommodo a  
dictis musculis & cavitate axillari, vifaque rite fuit hæc  
substantia ut peregrina hic coacta. Nullas in sui confor-





tium rapuit glandulas. Vasa illam intrantia erant ab axillaribus partim arteriosa, partim venosa, parvæ quoque venulæ a vicina cephalica provenientes eandem adibant. Omnia hæc vasa in pinguedinis interstitiis a cellulosa factis ludebant, eaque eo pingebant modo, prout ipsa desiderat natura. Cutis hanc pinguedinis molem continens extus naturali colore prædita, nullisque ob stringentem frigoris vim conspicuis vasibus picta erat, quæ verò intus solito majora magisque distenta videbantur. Ex hac ideo tumoris descriptione patet, quod absque periculo excindi ejusque vasa ligari potuissent. Evidentissimum porro nobis sistit testimonium, de differentia quæ intercedit tumores cysticos inter atque meam Excrescentiam, ab insignibus certe Auctoribus omissam, dum propriis nunc edoctus sum oculis, hæc tumorum species jure sub Excrescentiarum adiposarum titulo venire.

§. I.

**E**xcrecentiam adiposam inter & Steatoma utique discrimen statuo, tumores, quos ad nostra fere usque tempora omnes, si BLASIIUM <sup>a)</sup> excipis, Chirurgiæ Scriptores uno eodemque Steatomatis nimirum vocabulo comprehensisse, in Chirurgorum libris paulo modo verus quis ignorat? Omni profecto jure præcedentis, tot vividis jamjam Anatomix radiis illustrati, totque sedulis corporis humani Perscrutatoribus ditati seculi miraberis silentium, quod in hanc rem inquirentes nulla certa de iis reperire possint vestigia. Neglecta forsan partis exactæ investigatio, Medicorum fortasse quoad magnam partem

<sup>a)</sup> vid. §. V. lit. b.



tem Chirurgorumque tunc temporis viventium crassa rerum perpendendarum ignorantia, rarior modo casus aut plane nullus artis peritis oblatus, non pauca posuerunt impedimenta interiorem tumorum naturam indagandi. Audaci quidem nec non felici plerumque conamine, absque tamen inde secuto doctrinæ chirurgicæ emolumento, sua deliberabatur Ægrotus molestia, ut quilibet adhuc de accurata horum, qui in Observatorum monumentis leguntur, tumorum denominatione anceps hæere debeat.

§. II.

Sub Excreſcentiæ autem adiposæ titulo mihi venit tumor, ex adiposa membrana protuberans, veram continens pinguedinem, nulla peculiari cystide inclusam. Tales aliquando tumores ad insignem, imo ad monstruosam usque magnitudinem excreſcere, observatio nostra haud levi utique testatur exemplo. MORGAGNIUS a) Vir, cui certe aliorum tantum oculis naturam indagare non sufficit, verissima semper veritatem investigandi via utens, ex re ipsa pro sagacitate sua prius rite inspecta demum quid res sit caute judicavit, nostrosque tumores primus accurate a reliquis distinxit. Integra ejus verba hic apponere, cum quisque evolvere queat, superfluum judico, primæria tantum momenta delineaturus.

§. III.

Primum quod nobis considerandum occurrit, illa Excreſcentiarum species est, ab Authoribus Sarcomatis nomine salutata, quam haud inepte ad nostrum aliquando

A 3

tumo-

a) de Caus. & Sed. Morb. L. IV. Ep. L. §. 22, seq.



tumorem referendam cenſeo. a) Hæc certe juxta vim vocis cuique artis perito jure videbuntur aliena, tales enim interdum commiſſi fuere errores, qui in obſervando levitatis omnino argumenta præbent, a præſentibus ſcilicet copioſis, quæ tumoris pervagantur ſubſtantiam, vaſis rubris, quam plures ibidem formantibus convolutio- nes, vicinasque ſimul partes eodem colore commaculan- tibus, ad carnes, ſeu, ut medice loquar, ad fibras muſcu- lares injuſta fane mihi videtur concluſio. b) Aliquando talis tumori incluſa materies aut acquiſitis propriis viribus foras prorumpit, aut auxiliatrici Medentis manu varia applicante emplaſtra cutem inopportune infeſtat, c) fun- goſamque induit naturam, ut, alias nil niſi membranæ adipoſæ cruentatæ propagineſ, veram ſua nunc rubedine præ ſe ferat carnem. Sed & Steatoma ſub examen ſi re- vocetur, folliculus apparet fatiſ denſus & reſiſtens, ſebo conformem fovens ſubſtantiam, quæ verum a noſtris tu- moribus limitem ponunt. Nec non tumor membrana- ceus SALZMANNI a noſtro utique differt, deſcribitur ni- mirum ille a Viro olim Celeberrimo, quod tantus quan- tus ex membranæ conſtatuſ fuerit, in regione nuçæ ſe- dens, & ruptus rubro colore undique conſpicuus evaſerit ſine ullo pinguedinis veſtigio. d)

a) Sic & SCHLICHTINGIUS *Commerc. Litter. Nor. 1741.* Hebd. I. N. 4. Omne genus hyperſarcocœos membranæ cellulofæ extuberationem pinguedine & gelatina obſitam eſſe autumat.

b) BOERHAAVE eam jam ſuſpicionem movit *Prel. Acad. T. VI.* §. 711. p. 44.

MORGAGNIUM veram pinguedinem in ſacculis membranæ adipoſæ inveniſſe teſtantur. *Adverſ. Anat. II. Animadverſ. 17.* item *Lib. de Cauſ. & Sed. Morb. L. IV. Ep. L.*

c) Videatur Caſus CAMERARII & HOYERI, quem §. VI. notat.

d) SALZMANN & KELL. de *Tum. tunicat. membranac.* Argent. 1721. Tumorem cysiticum, qui meras quamplurimas tunicas con- tinuit, recenset MEEKEN *Obſ. Append.*



§. IV.

Ut accuratius nunc in expendendo Excreſcentiam noſtram verſer, dicendum quid natura præcipue offert, tum & omnia, quæ intus aguntur, bene conſideranda; quo factò facilior, qua veram tumoris originem inveſtigare queamus, nobis panditur via. Obſervamus autem tumorem talem quandoque propendere a pedunculo haud parum tenui, uti e noſtra Obſervatione videndum, quandoque vero tali deſtitutum lata gaudere baſi. Si illum pedunculum contrectas, nullum a parte, qua extroſum protuberat, animadvertis terminum ſeparationis, nec & hincinde, dum digitorum ope id efficere conaris, pedunculi verſus latera moveri poſſunt. A cute ſeparatus tumor quacunque juxta aptitudinem loci, ſectiõne inſtituta, nulla incluſus cyſtide obſervatur, recens apparet quod reſtat, ac exacte reſpondet partis abſciſſæ ſuperficiæ, nulloque diſtinctionis cujuſdam apparent limites neque ratione coloris, neque ſubſtantie variantis. Examine ulterius inſtituto, veram detegimus pinguedinem, a loco quo naturam eam collocaſſe novimus, in tumorem uſque propagatam, ſuis adhuc membranaceis ſacculis incluſam. Hic extra corporis peripheriam propendens tumor, laxatam cutem interdum craſſiorem habet, ſecum in eam producens vaſa prius ſeroſa, temporis vero tractu ſanguinea facta, mirum in modum diſtenta, ſanguine undique ebria, qualia & noſtra in obſervatione videnda erant. Ad hanc itaque claſſem noſtrum tumorem pertinere extra dubium eſt. Fateor quidem nullam cum eo inſtitutam fuiſſe ſectiõnem, quippe adhuc Curioſorum ſpectaculo in Noſocomio patrio integer aſſervatur, manifeſta autem adſunt ſigna, quæ illum huic claſſi adſcribere ſuadent, producta nimirum apparet in abſciſſionis limite pinguedo, quam

in



in femineis copiosiore vulgo adesse anatome monstrat, nullæ cystidis adfuerant reliquæ, ut nec dexterrimus Operator eas suppuratione nec alio adminiculo removere opus haberet. Hæc primaria puncta a MORGAGNIO a) quodam in casu allegantur, quibus quendam ex observatore tumorem Excrescentiæ adiposæ annumerandum esse haud dubitat. In sui vero consortium noster tumor rapuit & alium morbum, quem glandulæ ibidem locorum, imprimis in vaginæ introitu satis frequentes, fecerant, quæ obstructæ, turgidæ, fardæque Excrescentiam nostram adiposam glandulis scirrhis repletam reddiderunt, inde quoque denominationis, quam dissertationi præfigimus, ratio.

## §. V.

Sequitur nunc, ex Observatoribus exempla de nostra Excrescentia perquirere, & ea si quid dubii habeant juxta notas propositas examinare, quæ res haud exiguum in cura momentum affert, exinde quoque toti posteritati clariorem in iis indagandis lucem accendi nullus dubito, ut ab initio statim in propullulantibus earundem primordiis præsens valensque afferri possit auxilium. Elucescit inde porro, quam eas tollendi methodum aggressa fuit Observatorum industria, labor felici num coronatus fuerit eventus? an sinistrum sortitus? an malum paulo inefficaciori medicina adhibita novas ceperit radices? ut multo nunc formidolosiori facie & Medentes & Ægrotos rursus eruciaret. Hic certe illi maxime extolli merentur, qui puram observant in recensendo fidem, nec dictis suis talia miscere amant, quæ non facile aliquem ad credendum adducere valent, sed potius Observatori maculam inurant.

a) l. c. §. 24.



inurant. Magno, inquit, ingenio, **C E L S U S**, nihilominus habituro convenit etiam simplex erroris confessio, in eo præcipue ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur. *a)* Invenimus in evolutis Auctorum monumentis, qui suis jam Observationibus eundem titulum ac Illustr. **MORGAGNIUS** præfigunt, ut Cl. Viro non accuratioris dicam descriptionis, sed nudæ saltem denominationis eripi videatur gloria. Sic **B L A S I U S** *b)* adiposam recenset Excrescentiam cartilaginea duritie circa scapulam visam, quod quidem nomen excogitavit Auctor, descriptionem vero aliis reliquit. **I N G R A S S I A S** *c)* eundem jam jam notavit adiposum tumorem quoque circa scapulam proruptum, quem quidem nullam pinguedinis habita ratione, ad Steatoma retulit. **F A B R I C I U S** *d)* porro & tales incidit tumores adiposos, nihilominus tamen eos Steatomatibus accensendos opinatur, atque adjicit videri, nisi in capite locati, materiem continere pinguedini potius similem quam sevo. **L I T T R I U S** *e)* autem tumoribus hæc ob pinguedinis præsentiam Steatomatis nomen non convenire autumat, & hinc illud Lipomatis iisdem tribuit, sed dolui Cl. Virum addidisse, quod omne illud pingue membranacea cystide retentum fuerit, id enim a nostris notis omnino diversum. Potius illum, qui nostro tumori eodem loco pronato exacte convenit, & quem illo loco *f)* descripsit, ad nostram excrescentiam referendum censeo. Tradit enim Auctor, suis in cellulis contentam pinguedinem fuisse,

B nullum

*a)* L. VIII. Cap. 4.

*b)* *Observ. Med. rar.* Part. I. Obs. III.

*c)* in fine *Traçtatus de Tumoribus.*

*d)* in fine *Append. L. I. Chir.*

*e)* *Hist. de l'Acad. Royal. des Sc. A. 1709. Obs. Anat. 3.*

*f)* *l. c. A. 1704. Obs. Anat. 1.*



nullam autem operationis in usum tractam exhibet methodum, quam contra nostro ex casu supplebimus. PECHLINUS quoque jure nostræ familiæ annumerandum tumorem observat, licet eum vocet Steatoma glandulosum super costis spuris enatum; etenim si texture habeas rationem, nihil aliud erat quam Compositum glandulosum, pingue, membranaceum, copiosissimis intertextis venis. g) Fortasse & BIDLOI casus, qui in inguine radices cepit, & ad enorme volumen excrevit, ad nostram classem pertinet, tumorem ligatura sustulit Auctor, ast spem conceptam elusit conamen ejus, quum brevi ad stupendam magnitudinem rursus pervenerit, eandem nihilominus denuo aggressus est eradicandi methodum, & sic feliciter perfecit opus h). Dicta autem Observatio de intus contenta materie nec verbo mentionem facit, quippe inducta mediante ligatura putredo omnia devastabat. SCHLICHTINGIUS i) exacte, modo folliculum omisisset, nostram Excrescentiam describit, nil affert continetur intus, nisi pinguedo ex adiposa membrana producta.

g) L. III. Obs. 46. p. 347.

h) *Observ. Med. Chir.* Dec. I. Obs. 3. & Dec. II. Obs. 1.

Renati eademque methodo rursus curati tumoris exhibet historiam, follicita actus dubitatione, an primo Excrescentia radicitus extirpata, anve ejus inscitia aut imprudentia quadam tumoris parte relicta novos pristini morbi insultus passa fuerit foemina?

i) *Comm. Litter. Nor.* A. 1741. N. 4. ad costas, collum, dorsum, clunes, crura tales animadvertit, & memoratu dignam simul recenset Observationem de tali tumore, qui perfectam eamque prægrandem finxerat scrophulam, quæ sponte purulenta facta fuit & disparuit, vulnusque consolidatum.



§. VI.

Non infimi certe subfellii præcedente §. protuli Observatores, illis nunc alios adjungere animus est, non numerum Auctorum modo augere videar, sed ut pateat, quid & illi animadversio dignum habeant. PALFINIUS a) duos describit tumores, in dorso ad insigne volumen excretos, cuiusmodi vero familiae illi adscribendi, plane silentio præterit. RUYSCHIUS b) talem tumorem Steatoma appellare perrexit. ESHOLZIUS c) in tenuissimis membranulis per totam in cellulas quasi distinctam tumoris massam dispersis, contentam memorat pinguedinem, quæ Excreſcentia ex interfemineis provenerat, sed in hac Observatione idem reperimus ac in illis SCHLICHTINGII, nimirum quod & de folliculo præfente mentionem fecerit. HOYERUS circa Scapulam enatum d) & CL. CAMERARIUS e) e genu suum trahentem ortum tradit tumorem, quos etiam nostræ familiae fuisse dicere forsitan posses, ni Chirurgorum incongrua remediorum applicatio totam tumorum structuram evertisset, ut omnis examinandi præcluderetur occasio. Addè & talem, quem MORGAGNIUS f) tradidit ex nate propendentem nostro, uti videtur, similem habuisse pedunculum, & SCHROEKIUS g) communicatam a MORGAGNIO tumorem ex scapulae regione prorumpentis

B 2

recen-

a) *Anat. du Corps hum.* Tract. II, Cap. 2.

b) *Epist.* ad BOERHAAVIUM.

c) *Hist. Steatom. resect.*

d) *Eph. Natur. curios.* Dec. III. A. 7. & 8. Obs. 183.

e) *l. c.* Dec. 3. A. 5. & 6. Obs. 41.

f) *l. c.* §. 23. & N. 24. Talem quoque tradit SALZMANN *Dissert. citat.* §. 10.

g) *Eph. Nat. Curios.* Cent. 5, Obs. 17.



recenset observationem. Patet nunc ex prolati, quod ad nostra usque tempora per tot illustrium Virorum feriem, qui chirurgicam doctrinam evehendi omnem operam impenderunt, accurata tumorum nostrorum descriptio omnino latuerit. Quid & sequentes adhuc velint, illis relinquo dijudicandum, qui in obscuris rebus enucleandis sibi placere student, eruuntque intentis omnibus ingenii nervis aliud nihil, quam quod ipsis ita esse videatur. PURMANNUS *b)* de tumore supra pudendis orto & ligatura ablato verba facit, alium quoque recenset, qui ex interioribus pronatus extus propendebat *i)*, insignis magnitudinis, & ligaturæ ope curabatur. PLATNERUS *k)* de insigni tumore in Scapula orto mentionem facit, qui empirica tractatione ad immanem magnitudinem excrevit, planeque incurabilis evasit, tumorem huncce ex Athromate & Steatomate compositum fuisse Author opinatur. RIVERIUS *l)* talem habet, qui juxta spinam dorsi sub omoplata radices cepit, & singulari modo tractatus curam admisit, nec non in alio loco *m)* aliquem e genu prodeuntem memq-

*b)* *Observo. Chirurg.* Obsf. 44. Fortasse hic & ille casus fuerat, qui Medicos ita fefellit, ut eum pro Omphalo epiplocele habuerint. vid. MORGAGNI *l. c.* Ep. 43. N. 10. & HEISTER. *Institut. Chirurg.* T. II. Sect. V. Cap. 120. quum solito copiosior pinguedo eam ventris partem distendat. Et in *Chirurg. curios.* recenset casum, ex quo hariolari potest, quoniam operatione peracta folliculum extinguere non opus habuit, illum de nostra familia esse. vid. Fig. 7. p. 370. & seq.

*i)* *l. c.* Obsf. 45.

*k)* *Instit. Chirurg. rational.* §. 766.

*l)* *Oper. Med.* p. 573. Lugd. 1618. a FORMIO communicata, confricuit Lupiam, prouti vocat, ligno fraxini bis de die, suppurativum applicuit, unde pus motum, evacuatum, & vulnus clausum fuit.

*m)* *l. c.* p. 577 a POMARET communicata, curata acetosæ foliis charta madida involutis, & sub cineribus coctis, quæ postmodum cineribus per cribrum trajectis incorporabantur in formam cataplasmatidis, quod applicitum tumorem evanescere fecit.



memorat. Quæ interne inveniuntur, & ad nostram Excre-  
 scentiam pertinent, quum nulla via nec medicamentis nec  
 manu licet dextrissima eis medela afferri possit, lubens  
 omitto. Proximum itaque erit, ut indicem, quam tu-  
 mores illi habeant existentiae suæ rationem.

§. VII.

Nostrum tumorem alium adhuc intus fovere morbum  
 in superioribus monui, necesse itaque est, ut in examine  
 causarum ordine procedens, omnia rite perpendam.  
 Venerandæ Antiquitatis monumenta evolvere, & quam  
 illa hac de re foverit sententiam perquirere non necessa-  
 rium duxi, hos enim tumores illam plane latuisse supra  
 præcepi, & quid de tumoribus tunicatis senserit, ut huc  
 traham, tacere melius judico, quam frustra verba facere.  
 Ideo nulla impeditus auctoritate quid partium corporis  
 inspectio me docet, nec non præfente morbo quid factum  
 fuisse sana mihi dicitur ratio, propono. In omnibus lo-  
 cis, quibus tales oriri tumores ex observationibus con-  
 stat, cellulofum reperitur textum, nunquam non pingue-  
 dine plus minusve liquida fartum, quæ, donec rursus  
 circulum obeat, ad certum tempus asservatur. Huic  
 texto imminet cutis, seu si melius placet, cutis sensim sen-  
 simque versus interiora magis laxatur, ita ut subsequen-  
 tibus reliquis partibus mobilitate cohæreat, a) id cadaver  
 nobis offert; porro observatur in vivis, vim quandam  
 omnia quasi ibi gubernantem per totam cutem diffusam  
 esse, cietur si necesse est, argumento monticulorum,  
 quibus frigore, metu &c. illa horrida redditur, rursusque  
 laxatur. b) Hæc cutis mirificum textum laxam tenet  
 B 3 cellu-

a) HALLER *Prim. Lin. Physiol.* §. 432.

b) IDEM *l. c.* §. cit.



cellulosam quasi ligatam, ne turpiter propendeant omnia & partes pulchritudine formaque sua priventur, quod ex cadavere videre est, quæ enim virium adsunt reliquæ, jure mortuas dicis. e) Vis ista, quamdiu vivimus, perpetuo nobis non advertentibus invitisque operatur; illa continue turget cutis, quæ vita absente fracta & dejecta est, ut ex quovis texti puncto mortem quasi legas. d) In hac virium cutaneorum remissione ac insequente cutis relaxatione Excrescentiæ nostræ statuo causam, relaxata enim cutis sequacem secum abripit cellulofam telam, nec non suis cellulis inclusam pinguedinem, ita ut pondus hæc acquirant crescendo, omniaque in stupendam magnitudinem protuberent. Quantæ ne ergo cuti nostræ perpetuo imminentes, singulisque momentis ejus interitum minantes dantur potentia! quantane sæviunt intus, moliunturque, ut conjunctis una viribus a suo eam deturbent opere! Mirandum certe, rebus ita constitutis miserum tam multis tamque duris calamitatum telis expositum Mortalium Genus non frequentius nostrorum tumorum molestia affici, sed quænam hujus valetudinis causa? nonne præsidium in validiori cutis resistentia nocivos eludente ictus quærendum? Hanc causarum in- & externarum divisionem observem, necesse est; ex utraque enim cutis parte nostros tumores contingere posse, quis non videt? Doleo, mirumque cuidam videri posset, quod in frequentia observationum non allatæ fuerint Excrescentiarum causæ, ut singulas sub classes ordinare possẽm. e) Ast omnia bene consideranti res videtur esse manifesta

e) HALLER *l. c.* §. cit.

d) Quare RUYSCHIUS nullas invenit in dorso papillas. *Advers. Anat.* 1. N. 3, p. 20. aut ægre conspiciuntur. vid. *Thef. Anat.* 1. Art. 3. N. 4.

e) MORGAGNIUS *l. c.* §. 25. Hanc ex ipsa inspectione desumptam allegat causam: Quæ certo loco cutim laxant, ut minus resistat



manifesta. Levis cutemque frangens contusio, quæ hodie accidit, postridie rursus oblivioni traditur, & progrediente tempore tuberculum prodit, quod nullius censefetur momenti, inconsiderateque tractatum velox acquirit robur; & quis interius in filis membranulisque sensu proprio destitutis lentas animadvertit congestiones, quæ sensim invalescunt, tandemque extra corporis superficiem insigniter ac morbose protuberant.

§. VIII.

In tanta potentiarum nocentium multitudine præcipue tumoribus nostris ansam præbere videntur, quæ vario modo cutem debilitant, ut cedat iis, quæ retinuit ante, sic contusiones, ictus &c. quæ nullam plenariam in cutis textura continui solutionem faciunt, huc quoque trahuntur, cuncta extus applicita, relaxante gaudentia virtute, viresque cutaneas frangentia. His enim si antecesserunt hæc certo pede sequuntur; loculis a natura destinatis contenta ordinarie pinguedo sua turbatur sede, ruptis quippe a vi externa filis membranulisque eam custodientibus; liquidum oleosum præparantia & secernentia vasa vexantur, simul & suo resorbentia defraudantur munere; mera igitur intus fit contusio, quæ omnia indies, ne dicam, augentur, fractis saltem valorum præsentium viribus eodem in statu permanent, nec facile in pristinum restituntur. Hac rerum facie nulla alia, rupta disfracaque alias sequentia, intus occurrunt incommoda, quippe telæ cellulosæ modo vim illatam, & talia vasa læsa esse retuli, quæ:

ponderi, aut moli pinguium plurimarum cellularum ibi magis augetenti, ubi minor resistentia est, præsertim si aliqua accedat compressio vel oclusio venularum, pinguedinem ex cellulis revehentium, sive etiam foraminum in proximas transmittentium,



quæ veræ inflammationi excitandæ minus apta videntur, aut si quæ oritur, mox ipsa discutitur natura, & sensim vasa suum iterum celebrare officium ordiuntur, præparataque materiam, quo hiant, denuo mittunt. Nunc, ut suis iterum viribus gauderet cutis, vitalisque venarum restitueretur virtus, & conjunctis denuo facultatibus exequerentur naturæ leges, contingere necesse esset; aliarum languor, & cutis vitæ viribus orba ruere jam sinunt oleosam materiem, ut collecta accumulataque germinare incipiat, suumque cursum ulterius dein continuet, & subdole quasi aliorum huc tracta velox capiat augmentum. In hisce vera mihi videtur posita esse distinctio ratione originis tumorum cysticorum, oleosa enim in istis materies cellula inclusa continetur, quæ, dum ei omnis locum mutandi præcluditur via, increfcit, & quaeversum sese expandit, cellulas vicinas sua premendo exhaurit pinguedine, adnat suis lateribus priorum filamentorum substantiam, ut ea increfcet & crassum firmumque progressu temporis acquirat velamen. a) Cutis vires non perditæ tenent tuberculum, quod natat volutaturque in tela cellulosa, nec non, quum volumen acquisivit, rubet, cutis superficies expansa sensim solito tenuior fit. In priorem centum veniunt tumores nostri ratione exortus ab applicitis externis nimium relaxantibus, nulla amplius materię oleosæ in telam cellulosam depositæ opponitur resistentia, cutis inde præponderat vires, propendere incipit, & id quidem præcipue in loco corporis declivi.

§. IX.

a) PLATNERUS crassum Steatomatis velamentum a venis lymphaticis & receptaculis glandularumque tunicis, si ab humore in eis contento premuntur & distenduntur, derivat. *Inst. Chir.* § 761. In glandulis sedem quærit GARENGEOT *Oper. T. II. C. 7.* In tela cellulosa HEISTER *Instit. Chirurg. T. I. P. II. Sect. 1. C. 28. Prix de l'Acad. de Chirurg. T. I. p. 99.* BASSIUS Steatomatis velamen ab expanso glandulæ sebaceæ folliculo orti existimat.



§. IX.

Ea nunc, quæ interius nostram efficiunt Excreſcentiam, ſequuntur. Hæc quidem condita magis denſisque implicita videntur tenebris; aſt quum ruruſus conſidero rem, attentoque animo, quæ vita aguntur præſente, volo, facilis & hæc naturæ arcana detegendi panditur via; ſcilicet propoſui §. præcedente, cutim vi ſua perdita cedere, nonne autem quibuſdam in locis illa ſatis jamjam laxa? nonne obducit oſſa ita, ut quum reliquas profundiuſque poſitas amicire pergat partes, ſaccum quaſi efformet? Hæc rite conſideranti ſatis opportunus Excreſcentiis adipoſis hicce videtur locus. a) Quum itaque cutem naturali fere modo locum præbere novimus, hinc etiam, quæ intus contingunt, ut illæ protuberent, videamus. Cognitum eſt, quantæ in circulationis ſyſtemate oriri poſſint turbæ, mox enim deficit hæc vel illa ſecretionis materies relicta præſente ſpiſſa, mox præpedito curſu eadem penetrat vaſa, mox languore tanguntur partes, ut multiplici modo fluenti vexetur curſus. Ingeritur neceſſario in cellulas major pinguedinis copia, aut per tempus quoddam privantur illæ novo, aut omnis reſorptionis præcluditur via, ut priſtinam circulationis orbitam legere nequeat; mirandus adeo ille eſt concentus, quem ſingulæ arteriola venulæque cum ſe invicem celebrant,

a) Hæc fortæſſe cauſa eſt, cur Obſervatores ejuſmodi tumores adeo frequenter in ſcapulæ regione enatos obſervaverint, eo nimirum in loco, quo ſpinæ propior eſt, laxam ibi eſſe cutem & a muſculis ſcapulam humerumque moventibus vario modo in rugas agi quilibet experiri poteſt. Refer huc & illum locum, quem obſervatio noſtra ſecunda ſuperius deſcripta habet, qui ob cutis laxitatem Excreſcentiæ noſtræ non parum favet.



brant, quæ determinata sua vi ita animantur, ut durante sanitate iusta semper secreti resorptique humoris observetur proportio. Sed contenta iusto diutius materies sive resorptione impedita, sive insigni facta congestione cellulam urget, expandit, rumpit, contentum extra suos vagatur cancellos, vicinasque obruit partes, sic pondus acquirendo, relaxatam premit cutem, hæc eminere incipit, petiolum adipiscitur, hominem torquet. Quum vero & in nostra observatione nulla causa ratione originis allata fuit, hæc adhuc quæstio mihi agitanda videtur, nimirum an glandulæ scirrhosæ originem præbuerint Excrecentiæ nostræ? anve tumore janjam orto suas scirrhii illi duxerint natales? utrumque enim contingere posse, sana theoria docet. Etenim Excrecentia, quacunque ex causa orta, secum arripuit glandulas, quæ naturali sede privatiæ nil amplius de secreta materie emittere potuerunt, hinc tumidæ, duræ, scirrhosæ factæ fuere, præprimis quum insigni copia in pudendorum labris reperiantur. Hæc ratio altera mihi videtur potior, quæ glandulas scirrhosas, ut tumoris originem agnoscit. Quippe cognitum est, vitium, in humoribus si sedem capit, sese & in reliquarum glandularum familiam dispergere, similesque procreare morbos. In nostra autem virgine nihil tale apparuit, imo operatione facta sanatoque vulnere ad hanc usque diem optime sese habet. Nisi velis assumere, quod a causa particulari ibi exorti fuerint scirrhii, qui crescendo protuberare fecerint cutim copiosam ibi secum trahentem pinguedinem, ut prodigiosus tali modo ortus fuerit tumor.



§. X.

Excrescentiam nostram inter & alios præsertim cysti-  
de præditos tumores quæ intercedit differentia, supra jam  
tradita fuit; hinc quilibet signa, quibus illa dignoscenda,  
haud difficulter haurire poterit. Productio enim texti  
cellulosi digitorum ope facile palpari potest, & distingui  
an firmam mobilemque habeat sedem, quod ultimum  
præcipue tumores cysticos indicat. Noster tumor cæte-  
rum ad tactum satis mollis est, vestigia autem digitis præ-  
fusus nulla relinquit, nec doloribus hominem vexat, sed  
tantum suæ molis ratione molestus, venis sanguine sca-  
tentibus undique picta est ejus exterior facies, quæ si  
quancunque ob rationem læditur, sive contusione, sive  
inconsiderata medicamentorum applicatione, venarumve  
varicosarum ruptura dolores surgunt aliquando satis atro-  
ces; ruit enim copiosius humorum massa, pinguedo insi-  
gnis liquefcere incipit, corrumpitur, apparentque mali  
ominis ulcera. Quum ægroti antea radicalem curam ne-  
glexerunt, nunc maxime ab efficaci medicina efflagitant  
auxilium. Ex ipsa autem inspectione a) penitus cogno-  
scitur res, dum prudenter sectio instituitur, observatis  
iis, quæ tumorum natura & cognitus ex Anatome, quem  
tumor occupat, locus desiderant; ad hoc ultimum præ-  
sertim attendendum est, & imprimis ad eos, qui colli  
occupant regionem, aliave loca majoribus vasis instructa.  
Noster tumor qui, uti ejusdem fert historia, alium ad-  
huc morbum alit, a dictis notis recedit, ad tactum satis  
resistens est, & id propter contentos scirrhus. Si quas-

C 2 dam

a) vid. Observ. nostra secunda.



dam ex Auctoribus huc trahere convenit observationes, illa quam PURMANNUS *b)* recenset, si adiposa fuit Excrescentia, satis respondere videtur. Eam vero quam PECHLINUS *c)* habet, glandulosam licet dicat, nihil tale inclusisse, quem Excrescentia occupabat, locus suadet, ut potius illud Theoriæ, quæ tunc temporis floruit, tribuendum esse judicarem. Eadem & in nostra Excrescentia adhibita fuit curationis methodus, ac in tali exerceretur omnium glandularum scirrhosarum experte.

§. XI.

Adiposi tumores quid alant periculi ex sedibus, quibus infixi hærent, colligere licet. Quippe arteriæ haud ita exiles ea adire queunt loca, aut nervosæ in commercium rapiuntur partes, quæ omnia in operatione Ægrum æque ac Operantem valde infestant; tumore enim ablato tristissimis sanguinis profusionibus dirisque admodum inflammationibus portam pandunt. Hæc autem incommoda, si dictos sequuntur casus, hominem omnino in summum vitæ periculum conjiciunt. Econtra quum, ad avertendam nervosarum partium læsionem, de tumore expansaque cute nimium relinquatur, omni licet posthabita encheiresi, qua relictum prudenter auferri potest, attamen in periculum incidit medens, ne brevi nova facie rursus in lucem prodeat. Nam solito laxior ibidem adhuc existit cutis, cicatrix in toto ambitu formatur, sub qua & cute relicta pinguedinem recipiens textum cellulosa-

*b)* vid. §. VI. lit. *b*.

*c)* vid. §. V. lit. *g*.



Iulofum repletur atque denuo protuberare incipit. Sed & ratione contentæ materiæ secundum nostrum exemplum hi tumores quoque timendi, quippe satis cognitum, quisaam scirrhorum sit exitus, tali præsertim in loco, qui, dum totum movetur corpus, placidam tumori recuset quietem. Illos recuperandæ sanitatis affulget spes, in quibus vitium scirrhos produciens particulare, nec adhuc per totam humorum massam diffusum. Constat enim innumeris observationibus, & cui Medentium non sua ipsi suggerit memoria exemplum, glandulas tales affectas atque excisissas, alias, quæ priorum vitio tanguntur, in alio loco sequi. Dum adhuc suis in primordiis nostri tumores existant, nullum creant incommodum, nec adiposa materies facile corruptioni inclinat, infertur enim juxta naturæ leges, nec quidquam eam deturbans accidit, quod præcipue in aliis tumoribus metuendum, quibus materies ex suis vagatur limitibus, & locus, quo hæret, omni aditu redituque fluidi privatur.

## §. XII.

Nunc ad ea, quæ proprie curam spectant, transeundum, & quum plures, in extirpandis ejusdem familiae tumoribus usitatae, tradantur methodi, quædam de iis monere apud me constitui, & speciatim de illis, quibus superius citati Observatores locuti sunt. Hic nec attendere necessarium duco, an singulæ harum observationum tumoris nostri mereantur titulum, quæ si jamjam ex eadem specie non sunt, videndum tamen, ut eo facilius perficiatur opus, an forsitan adhibita in iisdem methodus.



huc trahenda. Omnes in genere tumores vel apta deligatione superdatisque opportunis medicamentis externis, vel ligatura seu injecto vinculo, vel admoto igne, vel ferro denique tolluntur a), quibus ita factis, si nihil Medentis retardat conamen, vulnus idoneorum remediorum applicatione clauditur, & cutis superficies, quoad potis est, solida æquabilique cicatrice firmatur. Nostrorum tumorum initia absque aliquo incommodo adeo levia esse supra præcepi, nec illis affecti ullum in hoc statu petunt remedium. Imo quum nulla sentiat durities, quum eodem adhuc ac reliqua cutis gaudeant colore, quumque digitis pressa cedant, illa pro pinguedine potius quam morbo considerant, quæ signa fortasse plurimos jam in errores duxerunt, ut inopportuna applicarent remedia, prouti tristitia in superioribus allegata exempla testantur. b) Si quid sperandum ab exterioribus, id esset ab apta ligatura

a) Forfan & huc pertinent, quæ Cl. MEDALON de tumoribus cysticis tradit, refert: *La matiere des tumeurs enkistées emince souvent la peau, la perce & s'écoule entièrement, de sorte que les parois du Kiste se réunissent, & que les malades sont guéris sans retour &c. Si la nature opere ses sortes de guérison par une simple ouverture, pourquoi le Chirurgien ne se contentera t'il pas d'ouvrir ces tumeurs lorsqu'elles ont de la fluctuation & de la mollesse. Prix de l'Acad. de Chirurg. T. I. p. 22.* Num hæc de nostris quoque tumoribus intelligenda? docet SCHLICHTINGII casus, quem §. V. lit. z) allegavi, quique sponte purulentus factus disparuit. Cuius hæc persuadere possunt, qui perpendit relicta cystide sensim eandem rursus intrare materiem, quæ fuerat ante.

b) vid. PLATNERI Casus §. VI. allegatus. An talia resolventia huc trahenda, quæ cutis inducunt rupturam, per quam materies sese exonerat? uti POMARET notavit de applicitis acetosæ foliis, vid. §. VI. lit. m), quem quoque casum allegat Cl. HUGON vid. *Prix de l'Acad. de Chirurg. T. I. p. 459.*



tura in nostrorum tumorum primordiis instituta, quæ æqualem compressionem faceret, eorumque refrænaret progressum, quo facto collecta intus pinguedinis massa divideretur, nec non robur acquirerent, & cutis & morbosa se habentes cellulæ; ast talis ligatura, ut exoptatum præstet effectum, non omnibus in locis ita admo-  
 veri potest, imprimis ubi cutis superficies inæqualis, partiumque motus perpetuus est. Hæc itaque curandi methodus in nostræ Excrescentiæ loco adhiberi non posset. Quod si nunc curam aggredieremur, emplastrorum ope dissipante virtute præditorum, augetur potius tumoris massa, cutisque relaxaretur, nec impedirentur a quibus Excrescentia nostra suum traxerit ortum, quod ex superioribus cognitum est. c) Si autem stringentibus opus moliri vellemus, illa simul agerent in vasa subcutanea, atque sic divisioni materiei, quo collecta hærebat loco, impedimento essent, aut si quid unquam præstare valerent, ulteriorem modo per dies impedirent progressum, atque denuo sibi relicta cutis cum sequace tela cellulosa rursus foras prodiret; his adhuc accedunt sequentia, emplastrorum nimirum applicatione perspirationis supprimitur materies, ea suis nunc stagnat in osculis, vel urgetur intus;

- e) De dividendis hisce remediis cum aliis adjuvantibus medicamentis mixtis, qualem præsertim in tumoribus cysticis ediderunt effectum, prolixius agit Cl. HUGON *l.c.* In citatis Observationibus nostris, quæ absque ullo dubio relicto tales existunt, nulla eorum applicatio facta fuit, & ea hic recensentur exempla de tumoribus cysticis sublatis curatisque externorum medicamentorum ope, ut si quem effectum habuerint medicamenta, opportunus deligationis modus ea non parum adjuverit. Præstarent emplastra resolventia, quibus dein roborante vi gaudentia succedere debent, ut perditum robur rursus acquirat cutis; hæc enim in incipientibus tumoribus convenire extra dubium est.



tus; per vasculorum autem pinguedinosorum cum per-  
spirantibus communicationem sudoris suscipit acrimo-  
niam pinguedo, trahitur exinde & oleum stagnans, du-  
plicatis nunc ita viribus foras prorumpit, fungosamque  
naturam tumoris & superficies & medullium acquirunt,  
ut triste offerat intuenti spectaculum, nec non hominem  
in summum aliquando vitæ periculum conjiciat.

§. XIII.

Quid de ligatura tenendum, videri potest ex exem-  
plo, quod BIDLUS recenset, & quod ad nostram Ex-  
crescentiam accedit a), ubi aliquid, uti auguratur Au-  
ctor, de relaxata cute relictum fuit, quæ rursus augmen-  
ta cepit, & ut ante protuberavit. Patet exinde, quo-  
modo in illa amovenda caute adeo procedendum, ut, si  
voto respondere debet Medentis conamen, pedunculus,  
a quo Excrescentia pendet, sit tenuis, & firmiter prope  
fundum stringatur, sic enim feliciter ille summ perfecit  
opus. Firma quoque requiritur cicatrix; alias enim cutis,  
licet valida sit, nimiam pinguedinem in omni Ex-  
crescentiæ ambitu sustinere non valet, quod forsitan in  
SALZMANNI accidit casu b), quo quidem non ligata  
sed exsecta fuit Excrescentia, & tamen in loco pinguedi-  
ne fatis referto rursus propullulavit. Ægrotus ideo si  
hanc desiderat medendi methodum, suscipiat eam Me-  
dens, sed ad dicta maximopere attendat; si enim rursus  
carnis

a) vid. §. V. lit. g.

b) vid. §. V. lit. f.



carnis accideret elevatio, profundas necesse esset ut institueret incisiones, quidque nimium videretur, suppuratione plane tolleretur. Hoc autem modo duplicem operandi methodum sustinet æger, quum alias uno scalpelli ictu omnis ille luxurians tumor ablatus fuisset. Sed non omnibus in locis hæc adhibenda est methodus, etenim in iis tantum convenit Excrescentiis, quæ petiolo illoque tenui instructæ, latamque a natura acquisiverunt basin. Horrendis simul doloribus vexatur Ægrotus, dum fortius continuo ligatura stringitur, donec omne illud, vinculo nunc a vivo separatum, abscedat, nec & hic Excrescentiam tollendi modus nostro in casu, licet adfuerit pedunculus, perfici posset; ipsa enim ligatura omnes illæ glandulæ scirrhosæ alte in pudendorum labro hærentes comprehendi non potuissent, sed potius nimia atrectatione nunc affectæ tristius post se traxissent malum. Simul & hoc perpendit prudens Operator, aliam hinc magis securam magisque efficaciorẽ ingressus est viam, ut Ægram ab illa mole liberaret.

§. XIV.

Alia tumores auferendi methodus est, qua cauterio tolluntur, quo sensim vi medicamenti admoti tumoris evertitur natura, æquabilisque redditur superficies. Incerta hæc aliquando existit, ut denuo ad ferrum confugere opus sit, horrendi quoque eam comitari solent dolores, imo quam & ipsam mortem secutam esse præcipue in cancrois tumoribus firmis probant testimoniis

D

Obser-



Observatores. a) In tali igitur casu, si nulla alia pateret salutis via, ægros potius intactos relinquere satius esset, quam ancipiti cura in vitæ discrimen ponere. Hic non diu morabor in recensendis illis casibus, quibus talia medicamenta & qualia convenire possunt, dixisse tantum mihi sufficit, quod in Excrecentia nostra illa maxime damnanda, & præcipue quidem in iis, quæ insigne jam volumen adeptæ sint. Etenim exinde raditur cutis, nuda redditur pinguedo, quæ partim effluit, partim per inflammationem exasperatur & corrumpitur, tumidura inde fit cellulosum textum, livorem acquirit, ut nunc & ipse Chirurgus extirpationem non nisi tremente manu suscipiat. Si vero talia rodentia involvit Medens, horumque vim infringit, proficiet nihil, idemque remanebit massæ volumen, quod fuerit ante b). Imo augeri adhuc illud ob telæ cellulosæ laxitatem necesse est, illa enim rosa solutaque cute ulterius proturabit, quocumque in loco illud applicitum sit medicamentum, sive in tumoris lateribus, sive in loco ejus declivi. Nec in ulla tali Excrecentiarum adiposarum specie, qualem nostra exhibet observatio, illa applicanda sunt, quippe contentæ in illa afficerentur glandulæ, abirentque cuncta in statum cancriformum, ut incurabile nunc malum surgeret, & homo maximis sub miseris vita privaretur.

§. XV.

a) *Pris de l'Acad. de Chirurgie T. I. p. 264. seq.* LE CAT plurima recenset exempla pessimi mortis exitus.

b) vid. LE CAT l. c. *On se rejette, inquit, sur le caustic rectifié adouci, mais si vous le rectifiez, vous l'affoiblissez, & alors il faut en prolonger l'usage.* Eadem hæc in nostro quoque casu convenire possent verba,



## §. XV.

Tangit denique ordo, ut optimam nunc omnium tumores auferendi methodorum recenseam, quo armata ferro manu solum ferè recuperandæ salutis positum est auxilium, quæque & in tumoribus cysticis promptum efficacique remedium, ni diuturniori mora sponte vexari ament Ægroti, aut varias aliquando ob rationes vexentur a Medentibus. Ferrum nonnunquam reformidare videntur Chirurgorum quidam, nullis certis imbuti principiis anatomicis, quid & quomodo secare debent ignari, suis ideo emplastris, quibus omnem ponunt fiduciam, tractare continuant ægrotos, nec proficiunt. Propono itaque, quomodo sectio facienda, & quomodo maxima cum prudentia nostro in casu instituta fuit. Si pedunculo gaudet Excrefcentia, nec relaxata circa eam existit cutis, non opus est, ut multum de ea absumatur, quippe attractus tumor manu injectave ligatura prehenditur, hinc tenditur cutis, & plus inde auferitur, quam quod petiolus habet; abscissa sic Excrefcentia, illa retrahitur, & satis patens apertumque redditur vulnus. Si autem cutis relaxata, prehendida illa simul, atque ne recrudescat malum, cum subjecta pinguedine e corpore solvenda. Sit tumor in vicinia majorum vasorum, ne illa lædantur, quam maxime cavendum, potius relinquendum aliquid, quod dein suppuratione tolli potest. Si lata basi gaudet tumor, repetitis sectio instituenda vicibus, omnisque simul cutis abscindenda. Hæc ultima methodus in nostra Excrefcentiarum specie præstat, quam si cruciformis institueretur Incisio, intusque contentum auferretur; D 2 quippe



quippe relicta hoc modo cutis corruptione facta sensim abiceret, nec, quo accrescere posset, locum inveniret. Hanc quam nunc tradidi viam noster ingressus est Operator, instituit juxta opportunitatem loci illam sectionem, quidque morbose protuberabat, sustulit, uti ex historia Dissertationi præmissa videre est. Associabant sese quidem operatione facta, quæ hisce in regionibus expectanda erant incommoda, quibus autem sagacissime obviam iit. Hæmorrhagiam volo, quam ligatura, optimo eam fistendi modo, feliciter compefcuit. Sed & venis mirum in modum distentis injicienda erant vincula, ne ob vasorum majorum viciniam sanguinem ulterius funderent, modumque deligationis redderent inefficacem. Interstissis porro futuris vulneris labia rursus contigua fecit, ne cellulofum textum denuo inciperet luxuriari, talem denique inuit medendi methodum, qua bona suppuratio nec nimia provenire posset, sic operante Chirurgo, nec torpida Ægrotæ natura, admodum feliciter cessit res, ut brevi temporis spatio integras iterum corporis acquireret vires, & dexterrima Operatoris manu sua in incedendo deliberaretur molestia:

T A N T U M!





---

E R R A T A.

Pag. 12. lin. 5. *post* adhuc *add.* sibi.

Not. l) *post* 1618. *add.* Obf.

Not. m) *post* 577. *add.* Obf.

pag. 15. lin. 16. *pro* His *leg.* Quæ.

pag. 27. lin. 12. *post* proficiunt *add.* hilum.

---



---

A T A R R E

pag. 12. in 2. fol. ad huc ad h. d. i.  
Mor. 1. fol. 1018. ad h. d. i.  
Mor. 2. fol. 177. ad h. d. i.  
pag. 17. in 12. fol. H. s. h. g. d. i.  
pag. 27. in 12. fol. H. s. h. g. d. i.

---



Strasbourg, Med. Diss., G. Gell-  
geyser

ULB Halle

3

005 359 899











B. C. D.  
CASUM  
DE  
EXCRESCENTIA  
ADIPOSA  
GLANDULIS SCIRRHOSIS  
CONFERTA

CONSENTIENTE  
GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE  
PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORIS  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI DISQUISITIONI SUBMITTIT  
DIE XXVIII. JAN. A. MDCCLXVII.

H. L. Q. C.

JOHANNES SAMUEL à GREYERS  
HELVETO - BERNAS.

ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENR. HEITZ, Universitatis Typogr.